

Hoc enim massæ sanguinæ communicatum fermenti ad-
 instar inquinat, nimiâ suâ volatilitate eandem penetrat,
 humores fermentare & ebullire facit, usque dum fero-
 ciâ suâ balsamum sanguinis dissolverit; quâ *Ααλύσα* factâ,
 omnibus partibus interitus adest certissimus. Præsen-
 tiam autem hujus *Θλι* volatilis arguit non solum mo-
 dus, quò in corpus nostrum agit, sævissimè; sed etiam
 sufficienter horrendorum symptomatum *συνδρομή*, quæ sa-
 tis diversa, imò periculi plenissima est, probat partim
 veneni volatilitatem & acredinem; partim coagulandi vir-
 tutem exprimit manifestissimè. Ad priorem classem spe-
 ctant *dolor capitis, vigilia, deliria, oculorum rubedo, calor in-
 ternus, sitis, lingue ariditas, nausea, vomitus, inquietudo,
 convulsiones, palpilatio cordis, pulsus inequalis, interdum
 citatior, alvi fluxus, Lemorrhagia* è diversis locis, *sudores
 colliquativi, feares*. Altera classis recenset symptomata
 à coagulatione dependentia, quæ sunt *anxietas cordis, li-
 potbymia, lassitudo, virium prostratio subitanea, pulsus
 languidus & quasi suppressus, rarus; exanthemata varia, bu-
 bones, sopor, tristitia, sudoris absentia, mors subitanea*. De
 utroque verò principiò participare, plus tamen vel minus,
 videntur *carbunculus, palpitatio cordis, tremor, horror, pul-
 sus inequalitas & alia*.

§. X. Adest denique curatio, quæ talia suppeditat
 & ordinat præsidia, hujus veneni qualitati exactè conve-
 nientia. Quid enim opus esset adhibere acida, nisi alcali
 jam nominatum volatile causticum esset temperandum?
 Eccur resolventia, volatilia pariter & fixa, & *Θλια*
 volatilia, cinnabarina omnisque generis diaphoretica,
 externa æquè quàm interna adeò proficua censerentur, si
 absq; stagnantis & coagulantis sanguinis resolutione resti-
 tui possint hi ægri?